



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacrosancti Et Oecumenici Concilii Tridentini, Pavlo III. Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et Decreta

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Oratio, Habita In Sessione Nona & vltima sacri Concilij Tridentini.
Celebrata Dvobvs Continuis diebus, Tertia & quarta Decembr. M.D.LXIII.
Pio 4. Pont. Max.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

ORATIO, HABITA
IN SESSIONE NONA
& vltima sacri Concilij
Tridentini.

CELEBRATA DVOBVS CON-
tinuis diebus, Tertia & quarta De-
cembr. M. D. LXIII. Pio
4. Pont. Max.

A R. P. D. HIERONYMO RAGA-
zono Veneto, Episcopo Nazianzeno, &
Coadiutore Famagustano.

Hic summatim recensentur omnia in
Concilio Tridentino definita, quę ad pię
credendam, & ad benę viuendum
pertinent.

Avdite hęc omnes Gentes, auribus
percipite oēs, qui habitatis orbem,
Tridentinum Concilium iam diu
ceptum, aliquādo intermissum, distractum
varię atque diuulsum, nunc demum singu-
lari Dei omnipotentis beneficio, summa
atque incredibili omnium ordinum ac na-
tionum voluntate, connectitur, atque perfici-
tur. Dies hęc quidem felicissima Christia-
no populo illuxit, in qua templum Domini
disturbatum frequenter, ac dissipatum refi-
citur & absolvitur: & nauis hęc vna bono-
rum omnium ex maximis, ac diuturnis tur-

binibus, atque fluctibus tuta in porru collocatur, quam vtinam conscendere nobiscum ij voluissent, quorum in primis gratia hęc ipsa nauigatio instituta fuit: atque edificij huius cōstruendi participes existerent, qui hoc nobis negotium exhibuerunt: maioris nunc profecto latitię causam haberemus. Sed nostra id certę culpa non accidit.

Nos urbem hanc in Germanię faucibus, id est, in domus illorum fere limiņę positā elegimus: nos custodiam nullam nobis, ne suspicionem illis aliquam minus liberi loci daremus, adhibuimus, nos eā fidē publicam illis concessimus, quā sibi ipsi composuerūt: nos hic illos per diu expectauim: neq; hortari, ac rogare vnquam desistimus, vt ad veritatis lucem cognoscēdam accederent. Verū illis etiam absentibus satis, vt puto, a nobis consultū est. Etenim cum duo essent, in quibus agris atq; infirmis illorū animis medicina fuit adhibenda: alterum fidei Catholice, ac verē Euangelicę illis in rebus quę in dubium ab ipsis vocantur, quęque opportune his temporibus viderentur explicata & confirmata, disiectis omnibus ac dissipatis errorum tenebris doctrina, alterum disciplinę ecclesiasticę, cuius potissimum deprauatione, illi se a nobis desecisse affirmant, restitutio: vtrumque quantum in nobis fuit, pro temporum horum ratione, cumulate pręstitimus.

Principio enim sancta hec Synodus (facta ex laudabili maiorum nostrorum consuetudine suę fidei p̄fessione) vt quoddā quibusdam futuris actionibus poneret &

quibus testimonijs, atq; praesidijs, in dogmatibus sancendis nitendū esset, ostenderet, veteris ac noui Testamēti libros, qui essent sine vlla dubitatione recipiendi, antiquorū Conciliorū probatissimorum exemplo, piē & prudēter enumerant: ac, ne de verbis quidem vlla ex varijs inuersionibus oriri posset difficultas, certam ac definitam de Græcis, & Hebræis translationem approbavit. Hinc omnium heresum caput, atq; arcem aggrediens, de humanæ naturæ corruptis initijs ea statuit, quæ veritas ipsa, si loqui posset, exprimeret. De iustificatiōe deinceps (res magna, & cum ab antiquis, tum à nostri tēporis hæreticis mirum in modum oppugnata) ei definiuit, quibus & perniciosissimis eo in genere opinionibus occurreretur: & recte sentiendi ratio miro quodam ordine, atque admirabili sapientia (vt in illis Dei Spiritū facile agnoscas) demonstraretur. Præstantissimo hoc post hominum memoriam decreto hæreses ferè vniuersæ iugulantur, & quasi caligo Sole discutuntur ac dispelluntur. eaq; claritas, isque splendor veritatis apparet, vt tantum lumē quin videat, dissimulare iam nemo possit. Subsecuta est salutaris septem diuinorum Ecclesiæ Sacramētorum tractatio: primum simul de omnibus, post de vnoquoque separatim. Hic vero quis non videt, quam distinctè, explicate, abundanter, illuminatè, & (quod caput est) verè tota cœlestium horum mysteriorum ratio contineatur? Quis in tam magna, multiplici doctrina, quid aut sequendum aut fugiendum sit, potest vllō modo desiderare?

Quis in illis omnibus errandi locum, aut occasionem inueniet? Quis denique de sacramentorum horum vi atque virtute dubitare in posterum poterit? cum gratiam illam, quæ illis ipsis quibusdam quasi stillicidijs in fidelium quotidie mentes illabitur, tunc nobis affuisse tam copiose perspiciatur? Accesserunt ad hæc de sacrosancto Missæ sacrificio, & de Cōmunionē sub vtraque specie, & paruulorum decreta, quibꝫ quidem nihil sanctius, nihil vtilius, vt de cælo lapsa, non ab hominibus composita videantur. Adiungitur his hodie certa de Indulgētijs, de Purgatorio, de sanctorum Veneratione, Inuocatione, Imaginibus & reliquis doctrina, qua non solum hæreticorum fraudibus & calumnijs obfistetur, sed piorum etiam Catholicorum conscientijs planè satisfiet.

Hæc de rebus ad salutem nostram pertinentibus quæ dogmata appellantur, fausse, ac feliciter erunt peracta: neque aliud quidquam præterea eo in genere à nobis hoc tempore expectabitur.

In eorum autem quibusdam administrandis cum nulla essent quæ non rite omnino, ac rectè seruariantur: accuratissimè, Patres amplissimi, curastis, vt purè illa, & castè atque ex more, institutoque maiorum tractarentur. Ita omnem superstitionem, omnem quæstum, omnem (vt dicunt) irreuerentiam diuina Missarum celebratione abstulistis: vagis, ignotis, & criminosis sacerdotibus sanctum hoc offerre sacrificium interdixistis: rei huiꝫ sacratissimæ vsum à priuatis domibꝫ, & profanis in sacra & religio-

sa loca reuocatis: molliores cantus, & symphonias, deambulationes, colloquia, negotiationes à templo Domini summouistis. Ita Ecclesiastico unicuique gradu leges illæ à vobis præscriptæ sunt, vt tradito illis diuinitus ordine, abutendi nullus utique locus relinqueretur. Ita nonnulla matrimonij impedimenta, quæ ansam quasi quandam ad violanda Ecclesiæ præcepta dare videbantur, remouistis: facilem veniæ consequendam viam minus legitimè connubij fœdus ineuntibus interclusistis. Quid de furtiuis tenebris, & que matrimonijs commemorem: Equidem ita sentio, si alia nulla causa conuocandi Concilium fuisset, (quæ multæ & maximæ fuerunt) propter vnâ hanc id omnino fuisse faciendum. Nam cum res hæc ad omnes spectet, neque vllus in orbe terrarum vniuerso angulus reperiat, quem labes hæc non inuenerit: curandum merito fuisset, vt communi huic malo, communi etiam consilio prouideretur. Innumerabilium, Patres sanctissimi, & grauissimorum delictorum, ac scelerum occasio prudentissima ista vestra, ac propediuina sanctione penitus ablata est, & Christianæ reip. gubernationi sapientissime consultum. Accedet ad hæc utilis in primis ac necessaria multorum in Purgatorij, Sanctorum Venerationis, Inuocationis Imaginum, & Reliquiarum: atque etiã indulgentiarum ratione abusuum interdictio, qui rerum ipsarum pulcherrimam faciè inquinare atque turpare mirum in modum videbantur.

Altera verò pars, in qua de labenti ac p-

p̄ cadenti ecclesiastica disciplina fulcien-
da erat agendum, diligentissimè etiam ab-
soluta fuit, atque perfecta. Eligentur in po-
sterum ad ecclesiastica munera obeūda, qui
virtute, non ambitione, præsent: qui que po-
puli commodis, non suis inseruiant: & pro-
sint potius, quàm præsiat. Enunciabitur atq;
explanabitur frequentius, & studiosius ver-
bum Domini, omni ancipiti gladio pene-
trantius.

Aderunt suis gregibus, & inuigilabunt
Episcopi, caterique, quibus animarum cura
commissa est, neq; extra creditam sibi custo-
diam vagabuntur. Nihil cuiquam prode-
runt, aut ad impurè & flagitiose viuendum,
aut ad male & perniciosè docendam præui-
legia: nullum sine pœna crimen, nulla sine
premio virtus relinquetur. Pauperum &
mendicantium sacerdotum multitudini op-
timate prouisum est: certè vnusquisque ec-
clesiæ, statutoq; operi, vnde ali possit, ascri-
betur.

Auaritia, quo nullum vitium est tetrus
præsertim in domo Dei, ab ea omnino tol-
letur: gratis Sacramenta omnia, vt par est,
conferentur. Ex vna Ecclesia plures, ex plu-
ribus vna, vt populi commodum, & ratio po-
stulabit, constituetur. Eleemosynarum que-
stores, (vt appellant) qui sua, non que lesio
Christi querentes, magnum nostre Religio-
nis damnum, magnam infamiã asserabant,
ex omni hominum memoria (quod summus
felicis loci ponendum est) penitus del-
entur. Hinc nostra præsens calamitas sum-
psit exordium; hinc serpere in finitum ma-
ma-

manareque indies latius nō desistebat: neque occurri illi adhuc multorum Conciliorum cautionibus ac prouisionibus potuit. Quamobrem quis non nisi sapientissimè factum dixerit, vt membrum hoc, in quo sanando diu, ac multum frustra laboratum est, ne reliquo corpori noceret, excideretur.

Porro Deo cultus tribuetur puriùs & accuratiùs? atque ita qui serunt vasa Domini, mundabuntur, vt ad sui imitationem alios trahant. In quo præclarè illud fuit excogitatum, vt qui sacris essent initiandi, ijs moribus atque litteris in vnaqueque ecclesia à prima ætate instituerentur, vt quoddã quasi virtutum omnium seminarium illud existeret. Iam verò prouincialibus, Synodis restitutis, visitationibus ad populorum vtilitatē non ad querelam & sumptum renouatis: Tradita pastoribus regendi suos, atque pacendi cōmodius facultate: Pœnitentia publica in vsum reuocata: Hospitalitate tum ecclesiasticis hominibus, tum pijs locis indicta: In Curatis sacerdotij conferendis memorabili, ac penè cœlesti ratione constituta: Beneficiorum (vt aiūt) pluritate sublata: Hæreditaria sanctuarij Dei possessione prohibita: Modo excommunicationibus imposito ac terminato: Primis iudicijs ijs in locis vbi lites oriuntur, assignatis: Singularibus certaminibus interdictis: Omnium hominum ac sacrorum inprimis luxuria, cupiditati, atque licentiæ freno quasi quodam, quod excuti non facile possit: injecto: Regibus ac principibus sui muneris

diligenter admonitus: alijsque rebus huiusmodi prudentissimè sancitis: quis non videt vestras vos, P. optimi, hac etiã in re partes curulatissimè executos? Actum sæpe est in superioribus Concilijs de fide nostra explicanda, moribusque corrigendis: sed nescio, an unquã diligentius, atque distinctius. Sic, præsertim hoc biennio, ex omnium populorum, ac nationum, in quibus Catholica religionis veritas agnoscitur, nõ solum patres, sed Oratores habuimus. At quos viros? Si doctrinam spectemus, eruditissimos: si visum peritissimos: si ingenia, perspicacissimos: si pietatem, religiosissimos: si vitam, innocentissimos. Numerus his quoque fuit, ut, si præsentis Christiani orbis considerentur angustia, frequentissima hæc omnium, quæ antea fuerunt, Synodus appareat. Hic singula omnium vulnera detecta, mores expositi fuerunt: nihil dissimulatum: nostrorum aduersariorum argumenta & rationes ita tractatæ, ut eorum tum causa, nõ nostra, ageretur. Tertium nonnulla, atque etiam quartum discussa: summa sæpe contentione certatum: eo scilicet cõsilio, ut quemadmodum igne aurum, ita quibusdam quasi luctationibus veritatis vires, ac nervi probarentur: Quæ enim inter idem sentientes, idemque spectantes, discordia potuit existere?

Quæ enim ita sint, licet optandam (ut imitatio dicebam) summopere fuisset, ut una cum illis hæc agerentur, quorum porissimè causa tractata sunt: absentium tamen etiam incolumitati atque saluti ita prouisum est, ut alia ratione prouideri, si effuissent, non potuisset.

tuille

tuisse videatur. Legant illi quæ de fide nostra statui mus, vt Christianum hominem decet, humiliter: & si lumen eis aliquod fulserit, ne faciem auertant: & si vocem Domini audierint, corda sua non obducent. Ac, si ad communem matris Ecclesiæ complexum, vnde se illi distaxerunt, redire voluerint, clementiam sibi omnem, ac misericordiam tribuendam non dubitēt. Sed præcipua illa ratio est, P. A. dissentientes à nobis animos conciliandi: si, quæ hoc in loco verbis sanciuimus, re ipsa in nostris ecclesijs præstentur. Leges etsi optimæ sint, muta tamē res est. Quid Hebræo populo Dei ipsius ore latae leges pro uerunt? Quid Lycurgi leges Lacedæmonijs: Solonis Atheniensibus ad libertatem retinendam, quam ob causam erant conscriptæ, vtilitatis attulerunt? Sed cur externa, atque antiqua nimis commemoro? Quæ ad bene beateq; viuendum instituta atque præcepta ex vnus Christi Domini nostri vita atque doctrina desiderare aut possumus, aut debemus? Quid item fuit à maioribus nostris omissum, quod cum ad rectè sentiendum, tum ad præclarè agendum pertineret? Medicamentum quidem salutare compositum ac paratum iam diu habemus: verum, si morbum debet expellere, sumendum est, ac per venas in omne corpus diffundendum. Poculo hoc salutis nos primū inebriemur, carissimi, & viua atque loquentes leges simus, & norma quasi quadam ac regula, ad quam aliorum actiones & statuta dirigantur: atque ita sibi vnusquisque persuadeat,

nihil è Christianæ Reip. commodo, aut dignitate successurum, nisi, quantum iu se sit, studiosè præstiterit.

Id curandum nobis, cum antea fuit: tum multo erit in posterum accuratius. Et enim si magistri nostri, ac Saluatoris exemplo facere prius debebamus, quam docere. postquam docuimus, quin faciamus, quæ esse poterit excusatio? Quis ferre nos ac pati poterit: si, cum non furandū esse demonstrauerimus, ipsi furemur? si, cum non mæchandū, mæchemur? Sanctos à sancto Concilio: innocentes atque integros ab integritatis præceptis & innocentia: firmos in fide atque constantes à fidei nostræ firmata doctrina discedere minimè conuenit. Actales quidem expectant nos populi nostri, qui nostrum iamdiu reditum sustinentes, ea se ipsi ratione consolabantur fore, vt hanc temporis vsuram maiori præsentis studio sarciremus. Sed fiet id à vobis, vt spero Patres sanctissimi, diligenter: & quemadmodum hoc in loco fecistis, ita etiā domi satis Deo atque hominibus facietis. Nunc (quod huius temporis est) Deo primum ipsi maximo, atque immortalī, maximas, atque immortales gratias & agamus & habeamus; qui non secundum peccata, quæ fecimus nos, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis; sed diem hunc latissimum, quem videre multi concupiuerunt, nobis non solum videndum, sed etiam celebrandum, incredibili cum totius Christiani populi assensu, atque approbatione, sua magna benignitate concessit. Pio deinde 4. summo

nostro

nostro atque optimo Pontifici gratia perpetua ac singulares habenda sunt: qui, cum primum B. Petri sedem ascendit, tanto synodum hanc instaurandi desiderio exarsit, ut in eo suas omnes curas & cogitationes defigeret. Nuncios statim viros probatissimos ad indicendum illis nationibus, atque provinciis Concilium misit, pro quorum in primis salute conuocabatur. Hi Aquilonis partes penè omnes peragrarunt, rogarunt, obsecrarunt, obtestati sunt: tuta omnia atque amica promiserunt: atque id etiam egerunt ut in Angliam traicerent: Legatos postmodum pietate ac doctrina praestantissimos, cum interesse ille synodo, ut mirum in modum cupiebat, non posse, huc misit: ex quibus duos (quorum memoria in benedictione est) statuta die tametsi nulli ferè Episcopi conuenissent, hic esse voluit. Hi, atque additus eis paulo post tertius, nouem menses, atque eo amplius, iustum ad Synodum instituendam Episcoporum numerum hoc in loco nihil agentibus expectauerunt: cum interea nihil aliud Pontifex ipse aut ageret, aut meditaretur, quam ut Patres quamplurimi, quam optimi, & quamprimum huc accederent: & Christiani nominis Reges omnes ac Principes suos huc Oratores mitterent, ut communi omnium voto, atque consilio communis hanc causam granissimam omnium atque maximam tractaretur. Quid verò postea omni cura, sollicitudine, sumptibus praetermisit, quod ad Concilij huius amplitudinem libertatem, & comòdum pertinere aliquo modo videretur? O singulare pastoris ac patris nostri pietatè atque prudètiā! O summā etiā eiusdem felici-

felicitatem, cuius auctoritate, atque auspicijs, iactatum hoc diu & agitatum Conciliū constitit & conquiescit. Te Paulum III. te Iulium, mortuos appello: quamdiu, quantoq; studio videre, quod nos videmus, exoptastis? quot in eam rē sumptus, quod labores insumpsistis? Quamobrem verē tibi atque ex animo, Pie sanctiss. ac beatiss. gratulamur, quod tantam tibi latitiam, tantam tuo nomini laudem (id quod maximam diuinæ in te benevolentia argumentum est) Dominus reseruauit: quæ nos precibus omnibus ac votis supplices oramus, vt te nobis incolumen, pro Ecclesiæ suæ sanctæ comodo atque ornamento, & quàm citissime reddat, & quàm diutissime conferuet. Serenissimo etiam Imperatori gratias agere, & gratulari iure optimo debemus. Ille potentissimorum Cæsarum, qui propagandæ Christianæ religionis miro quodam desiderio flagrarunt, animum, vt locum, referens, vrbem hanc ab omni periculo liberā conseruauit, & nos vt tutam tranquillâque pacem traheremus, sua vigilantia perfecit: magnâque nostris animis securitatem assidua trîu suorum Legatorum summorum virorū præsentia, ac propè pignore attulit: ille de nostris his rebus pro sua eximia pietate sollicitus mirificè fuit.

Ille à se atque à nobis dissentientes homines ex obscuratissimis, in quibus versantur tenebris eruere, atq; ad sanctæ huius Synodi clarissimam lucē aspiciendam adducere maximoperè laborauit. Regum præerea Christianorum ac Principum in Concilio

hoc amplissimis suis legationibus ornando,
 & suos vestre auctoritati fasces submittedo,
 pia maximè voluntas grata nobis memoria
 prosequenda est. Iam verò quis est Illustriss.
 Legati & Cardinales, qui se vobis debere
 plurimum non fateatur? Vos nostrarum a-
 ctionum duces optimi, ac moderatores ex-
 titistis. Vos, ne nostra aut in dicendo, aut in
 decernendo libertas violari aliqua ex parte
 videretur, incredibili patientia, ac diligen-
 tia curastis. Vos nulli corporis labori, nulli
 animi contentioni pepercistis, ut ad optatū
 exitū, quod alij multi vestri similes fru-
 stra tentauerunt, quamprimum perducere-
 tur. In quo præcipuā quandam ac propriam
 lætitiā habere tu Morone illustriss. atque
 ornatissime debes: qui, cū vigesimo ab hinc
 anno primum præclaro huic ædificio lapi-
 dem posueris, extremam nunc manum post
 alios multos huic operi architectos adhi-
 bitos, feliciter, pro summa tua ac propè di-
 uina sapientia impones. Factum hoc tuum
 egregium ac singulare omnium sermone
 perpetuo celebrabitur, neque vlla vnquam
 ætas de tuis his laudibus conticescet. Quid
 de vobis dicam Patres sanctiss. quā benè
 de Christiana republ. vestris h' sp' ætantissi-
 mis actionibus meruistis? quanta vestrum v-
 niuscuiusq; nomini commendatio, quanta
 gloria à Christiano populo vniuerso tribue-
 tur? Vos verè patres, verè pastores & agnos-
 cent omnes, & predicabunt: vobis suam v-
 nusquisque vitam, atque salutem acceptam
 libentissimè referet. O diem illam populis
 nostris iucundissimam, atque lætissimam, in

qua primum reuifere illis nos atque amplecti à templi Domini ædificatione redeuntes contigerit.

Sed fac, tu Domine De^o nofter, vt tam eximia de nobis opinioni egregijs factis refpondeamus, & femen hoc, quod in agro tuo feminauimus, vberem fructum afferat, fluatque vt ros eloquium tuum: atque quod forte aliquando pollicitus es, fiat temporibus nofter, vt vnum fit omnium ouile, & vnus pafior, atq; is potiffimum Pius 4. in tui nominis gloriam fempiternam. Amen.

APPROBATIO.

Annotationes ad Marginem, quæ huic Plantiniana Tridentini Concilij editioni accefferunt, nudam & fidelem continere oftentionem locorum, vnde fingula dogmata funt defumpta, nihilq; quod vel ad Canonum iftius Concilij interpretationem pertineret, vel hærefim faperet, inefle: Atteftor ego Auguftinus Hunnæus, 8. Maij 1570.